

Alte Drucke

**EPHEMERIDES || COELESTIVM || MOTVVM || IO. ANTONII
MAGINI || PATAVINI, AD ANNOS XL. || Ab anno Domini
1581. vsque ad annum 1620. secundum Copernici ...**

Magini, Giovanni Antonio

Venetiis, 1582

DOCTRINA, ET VIRTUTE praestanti viro D. Ioanni Antonio Magino Patauino
Philosophiae Doctori, ac Mathematico insigni.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150787

DOCTRINA, ET VIRTUTE

præstanti viro D. Ioanni Antonio Magino

Patauino Philosophiæ Doctori ac

Mathematico insigni.

Petrus Slouacius Sdacouienfis Doctor, & celebris Academiæ
Cracouienfis Mathematicus S. P. D.



QUANTVM per eas occupationes licuit, quæ mihi
huc ueniendi causa extitere, Magine Doctissime: Ephe-
merides tuas summa industria, atque diligentia se-
cundum Copernici hypothesen supputatas, non sine
magna animi mei voluptate legi, & quod à me postu-
lasti, calculum tuum cum meo eclipsium, & motuum
luminarium aliquot annorum contuli: per eas tabu-
las, quas Erasmus Rheinoldus construxit iuxta obser-
uationes Copernici: quibus hac ætate omnium iudicio
doctissimorum, nullæ habentur exquisitiore. Ex quo sanè intellexi, te tanta in-
genij dexteritate, & sedulitate, in peruestigandis veris Planetarum motibus
atque luminarium defectibus elaborasse, quantam, pace tanti viri dixerim, in
Stadij Ephemeridibus non inuenio. Quam verò maxima inde utilitas litte-
rariæ Reipub. Et in primis Mathematicæ sit futura, æquissimis iudiciis atque
exercitatis in ea arte viris, iudicandum relinquo: quos passim ubique locorum
acceperam conqueri, de Stadij qui in suis Ephemeridibus deprehenduntur erro-
ribus, quos ego etiã, dum hæc Studia in Academia Cracouienfi toto ferè decennio
profiterer, quàm plurimos obseruau. Nihilominus tamen Stadium qui primus
omnium iuxta Copernici hypothesen suas Ephemerides confecerat, alijs neglectis,
quippe ex vulgaribus tabulis motus planetarum, maiori quidem diligentia, sed
observationibus minime congruentes, collegerant, hucusque præcipue sum sequen-
tius. Verum ob tam manifestos, qui frequenter in calculo obrepunt errores, vix
eum alia ratione amplius tueri possum, quàm vel vitio suarum tabularum, quas
ipse ex Prutenicis deduxerat, vel negligentia Typographorum, si hæc locum ha-
bere potest, id accidere potuisse, quemadmodum illud quoque eorundem Auari-
tiæ adscripserim, quod ex Cypriani Leonicij Ephemeridibus, mutatis quibusdam
numeris, in tot annos Stadianas, nisi superstite Stadio in publicum prodissent,
adauxerint. Quod equidem factum quantopere ingenia eorum hominum per-
turbauit, qui ad veram, sedulamq; Phænomenon observationem contendunt, ipsi
iudicent. hoc enim nihil est aliud, quàm ipsam veritatem, ex profundissima
caligine tenebrarum in lucem emergentem, iterum aut obscurari, aut suppressi
velle; efficeretq; chaos quoddam confusum, in hac præstantissima Astronomiæ par

se; quæ numeris motus orbium cælestium peruestigat. Itaq; hoc tuum propositum Magine doctissime, veritatis studio & iuuande rei literaria susceptum, non possum non vehementer admirari, atque laudare; ipsis autem studijs, quæ maiori dexteritate in dies suæ restituuntur certitudini, ex animo gratulari. Tu modo hac duce intrepidus perge feliciter; & quod viri boni est, fac animo liberali, ut indefessis tuis laboribus (nisi grauissimum peccatum subire velis, abscondens hoc talentum, quod communi omnium utilitati diuinitus per tuam industriam videtur esse concessum) quanto citius perfruamur omnes: habeamusq; tandem nouas & absolutissimas Ephemerides tuas, quas si noua restitutioni Calendarij, quæ intra paucos dies futura expectatur, accommodaueris, nihil eis incedius ab omnibus expectari poterit; hocq; duplici nomine, non solum veris Mathematicos cultoribus ingentem utilitatem allaturas, verum etiam omnibus futuris gratissimas velim existimes. Nihil inuidorum voces, aut obreccationes moreris, pertimescasve; habes strenuos duces, potentissimosq; tui propugnatores, Nicolaum Copernicum, & Erasmum Reinoldum, quorum tu fundamentis firmissimis niteris. Vale eruditissime Magine, & Tabulas quas apud te Venetijs vidi, tanta industria & opera à te confectas, ut studiosis Mathematicos multum facilitatis & compendij allature sint, cum res hæcenus perobscuras, & inuolutas apertissimas, facillimasq; paruo labore reddant, publicæ utilitati fideliter communicare non desistas: ne tuis ingeniosissimis inuentis solus priuatim, quod à viro bono alienum esse debet, frui videaris. Dat. Patavij 6. Idus Iunij 1582.

Jacobus Cerasus Physicus Gallus eidem Domino Ioanni
Antonio Magino Pat. S. P. D.



ON immeritò certè, excellentissime mi Magine, ab Arpinate illo eloquentissimo dictum fuit, propter virtutem quos nunquam vidimus quodammodo diligere. Quod nunc verum esse experior. Quamprimum enim ab Illustri Comiti D. Antonio Insulano, viro certe egregio, ac de me benemerito, te artes mathematicas profiteri, ac in eis diu, multumq; inuigilasse intellexerim, tuasq; lucubrationes, ac laborè illum improbū, noctesq; insomnes, quas in colligendis astrorum diurnis motibus consumpsisti, inspexerim, illicò me totū tibi deuoui, ex intimisq; te prosequutus sum, nihil potius optans, quàm vt te adoriri possim, ac in aliquibus tibi inferuire, tuasq; castigatissimas, ac diligenter excussas Ephemerides omnino absolutas videre. Spero enim has nobis multum utilitatis, tibi verò nominis immortalitatem allaturas. Vellem tamen (si pro tua animi benignitate liceret) vt ciuitatem nostram in cæterarum catalogo inseras. Hæc à Prolomæo Albia dicitur, quæ sub eleuatione poli 44. gr. stat. & sub longitudine 26. gr. 30. min. Hinc matrem Ciceronis ortam esse testatur Iulius Cæsar in suis commentariis, cū de Heluiis loquitur. Hæc nunquam arinis, sed conuentione ab eodem occupata fuit. Olim Albagusta nominabatur, nunc Albia, vulgò Alby dicitur. Itaq; si quid in me est, quo possim tibi inferuire, me semper paratum, tibiq; dicto citius obtemperantem comperies. Vale, Bononiæ 15. Kalend. Octobris. 1582.

AD IOAN. ANT. MAGINVM

Ephemerides scribentem,

Adami Fumani Canonici Veronensis.

Praeter plurima, quae pridem male cognita vulgo
Summe nunc primum te didicisse iunet,
Astorum positus, & quid mortalia corda
Qualibet adueniens admonet vna dies,
Annorum plexam per quadraginta cathenam,
Hic facile vnde queas discere lector habes.
Nam quae obstrusa prius, tibi fecit aperta Maginus,
Clausa alijs superum, cui patuere via.
Nec mirum, quando à primis vagitibus illuxit
Caeli aluit mammis arbitra Musa suis.
Hoc tu intra spaciū sapienter viuere si vis,
Præclarum crebro hoc consule, consule opus:
Et iuuenem lauda egregium, solertia cuius
Tanti participem te facit esse boni,
Tum clavis auctam ingenijs, & honoribus urbem,
Auctior hoc, quod sit ciue futura nouo.

IOANNIS BAPTISTAE PONAE

Medici Veronensis.

Tu vasta immensi metitus mœnia mundi;
Quo cælum Magine suos agat impete currus,
Astorum positus, facies, discrimina, motus,
Cælestes haustus, secretiq; ætheris ignes.
Commixtos radios, commixtaq; lumina pandis:
Discite mortales nutu, quo temperet o-bena
Conditor Omnipotens; quàm varijs acta figuris
Cælorum moles animantium fingat alumnæ
Tellurem, innumeras inducens dedala formas:
Ortus, atque obitus rerum, sortesq; futuras,
Quasq; Deus cæca quondam caligine textit,
Discite peruigili scrutari indagine causas:
Humani columen generis sanctissime PASTOR,
Cuius tu in terris grandes moderaris habenas,
Cerne pias, certos mundi Pater inspicere flexus,

AD IOANNEM ANTONIVM
Magnum Astronomum accuratiss.

Zefriell Thomas Bonius.

Diligo te ex aquo, & merito, te clare Ioannes
Antoni Magine colo, te pectore toto
Complectar, totisq; animis, dum vita manebit.
Quandoquidem, quo tu mandabas tempore sacris
Syderei motus mansura volumina chartis,
Monstrante Vrania, & fama minuente laborem,
In varios vsus hominum, gratosq; recessus
Venturum, dictabat item mihi tempore eodem
Aliger aethereo Sachel demissus Olympo,
Qui quibus instarent sphaeris, quae munera obirent,
Quique duces, mundiq; plagas, quas quique tenerent;
Et quos quique hominum regerent, quos quique fouerent,
Vnanimi studio peragentes iussa parentis
Queis vniuersi grandes moderatur habenas.
O nos felices, o nos Magine beati
Ambo, frui quibus est concessum corpore in isto
Mortali, alloquio diuini, & caelestia nosce.
Maeste animo, maeste ingenio, Magine, feraci,
Te superi affectant; creptos ne desere ciuisus,
Sic homines inter decus immortale parabis,
Et Diuus Diuos inter numerabere primos:
Clauit his studiis iustus, bifronsq; Noemus,
Qui peragens mandata Dei genus omne animantum
Compacta in nauem sylua seruauit ab undis.
Et pater Isacidum superis gratissimus olim
His studiis, dextraq; valens, opibusq; peramplis.
Sic qui in prodigijs magnis, virgaq; potenti
Niligenas acies perdens, Phariumq; Tyrannum
Abramidas praesente Deo de compede duxit:
Quos etiam enutrit deducta calitus esca,
Coniunxitq; Deo condicto foedere, statas.
Si modo seruauerint leges, conuentaq; pacta.
Sic Herebi Alcides domitor, sic caelifer Atlas.

Blasij Kirchmarij Germani.

Singula vertentis dum tempora calculat anni,
MAGINVS magno nobilis ingenio,
 Dumq; docet, quid signa ferant duodena, quid ignes
 Errantes caelo, & quolibet hora die:
 Egregius ipsum Mauors hortatur in ausus,
 Infunditq; sacra Iupiter artis opes,
 Eloquium Maia genitus, Venus alma leporem,
 Errorum noctes Cynthia clara fugat:
 Euentus aperit Phœbus secreta futuri,
 Falciger ætatis sæcula tarda sua.
 Dignus eras narrare Deos, Magine, diesq;,
 Dignum opus assensu, subsidioq; Deum.

Andræ Iarnocouij Poloni.

Quale est Pelidæ scutum, bisseuaq; signa,
 Quæ tulerat natus Thetios arma Dea.
 Sed nec deportans humeris, serumq; datura
 Occasum, Teucra par sit & ipse toga:
 Quale tuum decus est animo, dum sæcla futura
 Prospicis, ac mundi turbida fata notas.

Io. Iacobi Tognali Veronensis.

Qui lenibus pennis potuit super astra leuari,
 Magnorumq; epulis accubuisse Deum,
 Et Fati series, & summi arcana Tonantis
MAGINVS certa detegit artis ope:
 Plaudite mortales; mittunt noua sæcla Prometheus;
 Nestoreumq; scyphum qui serat, alter adest.